



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis  
Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis  
electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim  
Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Vrbani ...**

**Bonacina, Martino**

**Lvgdvni, 1637**

Qvæstio III. De excommunicatione contra Dominos temporales, &  
Officiales ciuitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10669**

QVARTA PROPOSITIO.

**A**bsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata est ; nam Paulus in praecitata Bulla, sic ait, & ab excommunicatione, & maledictione huiusmodi , per alium, quam per nos , & Romanum Pontificem pro tempore existentem , præterquam in mortis articulo, absolui non possint.



QVÆSTIO III.

*De excommunicatione contra Dominos temporales, & Officiales Ciuitatis in qua electio Summi Pontificis facienda est.*

S V M M A R I V M.

- 1 Domini temporales non seruantes prescripta Sede Apostolica vacante ligantur excommunicatione.
- 2 Enumerantur ea quæ seruanda sunt à Dominis temporalibus Sede vacante.
- 3 Assignatur materia istius excommunicationis.

P 5 4 Assigna

4 Assignatur subiectum eiusdem.

5 Absolutio istius excommunicationis non est reseruata.



VATVOR in hac quæstione explicabo; primò, an præfati Domini, & Officiales sint ipso facto excommunicati; secundò, quænam sit materia illius excommunicationis; tertio, quódnam sit subiectum seu quinam Domini, & Officiales huic censuræ subiiciantur; quartò, an absolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata sit.

### PRIMA PROPOSITIO.

I **D**omini temporales, & alij Rectores, & Officiales Ciuitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda est, ligantur excommunicatione, si obseruari non faciant ea, quæ præscribuntur *in cap. ubi periculum, de electione*, nam in præfato capite statuitur, ut Domini, & Officiales illius Ciuitatis in qua mortuus est Summus Pontifex, & in qua electio noui Pontificis facienda est, præstent iuramentum personaliter coram Clero, & populo Ciuitatis, quo iurent se obseruatuos, & obseruari facturos ea, quæ in præcitato textu habentur,

bentur, et si ea non obseruauerint, cuiuscunque sint status, & conditionis, omni cessante priuilegio, excommunicationem ipso facto incurant; sint perpetuò infames, inhabiles ad dignitates, & officia, feudis, & bonis Ecclesiasticis priuati, & Ciuitas sit interdicta, & priuata Episcopo.

2 Quæres quænam in præfato cap. continentur, quorum obseruantiam Domini temporales procurare debent.

Respondeo plura contineri, Primò, ut Elec<sup>tio</sup> post decem dies ab obitu Pontificis celebretur in Ciuitate, in qua Pontifex cum sua Curia residebat; si verò p<sup>ri</sup>oriit extra Ciuitatem, in qua cum sua Curia non residebat, elec<sup>tio</sup> fiat in Ciuitate in cuius territorio Pontifex ex hac vita migravit, nisi fortè ea Ciuitas interdicta sit, aut rebellis contra Romanam Ecclesiam; tunc enim electio facienda est in alia proximiori Ciuitate, quæ huiusmodi vicio non sit infecta.

Secundò, ut nullus ad Cardinales in Conclavi existentes accedat, exceptis seruientibus, nec ipsos secrerò alloquatur, vel nuncium mittat, ut ex dicendis quæst. proximè sequenti, constabit.

Tertiò, ut si Cardinales intra tres dies postquam Conclave ingressi fuerunt Pontificem  
non

non elegerint, vnicum ferculum tam in prandio, quam in cena quinque dierum spatio recipiant, quibus diebus elapsis, si electio secuta non fuerit, panis solùm, vinum, & aqua tribuantur donec electionem perfecerint.

Existimo tamen Cardinales non teneri sub mortali hanc regulam de abstinentia à cibis obseruare, quia Pontifex non vtitur forma loquendi præceptiua sub mortali; ait enim *unico ferculo sint contenti, & infrà, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministretur eisdem, donec eadem prouisio subsequatur:* Ergo si aliquid aliud ipsis ministretur, vesci possunt, quia vetitum est potius ministrare, quam recipere, & frui.

Quarto, vt Cardinalis superueniens post ingressum aliorum in Conclave, & nondum facta electione, admittatur in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum inuenerit, vide præcitatum textum §. *hoc sacro.*

## SECUNDA PROPOSITIO.

**M**ateria istius excommunicationis consistit primò in omissione, seu negligentia ad faciendum obseruari ea, quæ in præfato capite circa Summi Pontificis creationem præscribuntur; verum tamen est non sufficere quamlibet negligentiam, sed requiri grauem,

grauem , & sufficientem ad mortale peccatum , excommunicatio enim non incurritur, nisi ob mortale peccatum.

Secundò,in commissione fraudis in iis, vel circa quæ in prædicto capite circa præfatam creationem decernuntur.Hæc propositio, patet ex illis verbis, *Quod si præmissa non diligenter obseruarint, aut si fraudem in eis, vel circa ea commiserint,cuiuscunque sint præminentia, conditionis,aut status,omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & perpetuò sint infames.*

### TERTIA PROPOSITIO.

4 **S**Vbiectum istius excommunicationis,  
Sunt omnes Domini,aliisque Rectores,  
& Officiales illius loci,in quo Summi Pontificis electio facienda est , delinquentes contra istam constitutionem, vt patet , tum ex præcitatibus verbis,*Cuiuscunque sint præminentia, &c. tum ex illis,Domini,aliisque Rectores , & Officiales Ciuitatis illius.*

Hinc sequitur non solum Laicos , verùm etiam Ecclesiasticos contra istam constitutionem delinquentes affici excommunicatione huius capituli,quia textus generaliter loquitur de Dominis, Rectoribus, & Officialibus illius Ciuitatis , in qua Romani Pontificis facienda est

est electio, cuiuscunque sint præminentiaæ conditionis, aut status.

### QVAR TA PROPOSITIO.

**A**bsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata non est, quia in præfato textu nullum adest verbum, quod reservationem significet; an autem interdictum locale positum contra Ciuitatem, prædictorum Dominorum auferri possit à Confessario, vel Episcopo, constat ex regulis generalibus traditis *de censuris in genere*, vbi negatiuè responsum fuit.



### QVÆSTIO IV.

*De excommunicatione contra eos, qui Cardinalibus in Conclavi existentibus, litteras, vel nuncium mittunt, vel secretò loquuntur.*

### S V M M A R I V M.

1 Refertur textus in quo ista excommunicatio continetur.

2 Assigna